459

IN NUPTIIS
EXCELLENTISS.
D. PETRI MAZACARI
DUCIS CASTRI GARANNONIS, RIPÆ CANDIDÆ, ET MASSÆ LOMBARDÆ,

ET

D. ANNÆ MARCHANTIÆ.

LUCIANI PHILIBERTI
GRATULATIO

Additis Epithalamiis.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

NEAPOLI, MDCCXLVI.

Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

160

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO

VIRO

D. FRANCISCO MARCHANTIO

IN REGIA CAMERA PRAESIDENTI.

ETſi tanta eſt tuae Excellentiſſimae filiae laus & gloria, ut ipſa ſuam Nuptiis frequentiſſimam celebritatem, clariſſimamque lucem creare vi-

Digitized by Google

deatur, ubi non minor ex dignitate & amplitudine vis & copia ingeniis effloreſcit ac redundat, quam ex humanitate & liberalitate acclamatio ac laetitia erumpit atque effunditur; tamen ad tam diſperſas, tam vagas, & diffuſas laudationes colligendas, vel ſeligendas ſubſcriptore opus habebat. Vicem hanc libentiſſime mihi adrogavi, qui optimam de perpetuanda noſtrorum Ducum ſerie, & ſobole propaganda ſpem ingreſſus tanquam ex alto animi languore, quem longior exſpectatio attulerat, oculos attollere, omnibuſque laetitiis inceſſiſſe videor. Meae igitur partes ſint, ut quas ex noſtra memoria praeſtantiſſimus quiſque, & ſcribendi arte celeberrimus ampliſſimis monumentis con-

ſe-

ſecrandas eſſe exiſtimet, tales nuptiae cura & ſtudio meo undequaque ſimul prodeant. Multa praeterea ratio me movet, non modo ut ejus, meaeque ipſius gloriae inſerviam, qui tanto nomini ſubſcribar, ſed vel in primis, quo majus aliquod officii, vel potius pietatis in meae Patriae Ducem ac Patrem Excellentiſſimum, cui Nuptam Deum fortunare volo, pignus praeſtare poſſim. Plus enim ex animo meo effudiſſe videar, ſi publicae & multorum, quam ſi meae unius gratulationi memet obtulerim. Eſt hoc ad filiae tuae optimae graviſsimaeque, & generi tui tanto lumine digniſsimi effigiem exprimendam non Phrygionum acu, aut pictorum manu, ſed ſummorum contentione in-

ge-

Digitized by Google

geniorum elaboratum opuſculum, quod pro munuſculo ut tibi potiſſimum offeram, dignitatis ratio poſtulat; officium vero ut tecum filiae, generoque tuis communicatum probem, id meae ambitionis eſſe fateor ſemperque gloriabor.

In clientela, atque in aere tuo
Carminus Lioijus.

Digitized by Google

DIES laetiſſimus , atque jucundiſſimus tibi , Petre , tuaeque Sponſae, nobis vero , & cunctae Civitati celeberrimus ; ad noctem laetiorem,jucundioremque inclinatur, ſubitque Heſperus fulgore novo hilarior , Lunuſque , Nocturnuſque , Venus , Jupiterque cum caeteris hilarulis Stellis , tota denique nocturna Coeli forma ſideribus fulgidior , atque exornatior ſupra caput eſt . Quid , niſi quod ſignis , & luminibus Deus repente noctem hanc prae caeteris exornare concupiſcat , atque ita ratas numine ſuo praeſentiſſimo , & auſpicatiſſimas haſce nuptias ſe facere teſtetur, ut ignes aeterni facibus noſtris praeluceant ? Quibus gaudiis perfrui , & perpetuis , & pleniſſimis vos jubemini ? Quid laetitia , & hilaritas parentum ſolutior, quam pro natura, moribuſque ſuis , ac liberior , nec in ſinu , & animo , ſed longe latioribus terminis circumſcripta ? Quid propinquorum , neceſſariorum , civium denique omnium tota Urbe geſtientium exſultantes voces , laetabiles flammae , effuſa omnium ordinum gratulatio , plauſus , & clamores , etiam

266

infimorum ? Quid Urbis ipſius inuſitata feſtivitas, ac venuſtas ? Quid tecta, domuſque undique laetitiam in ornatu, cantu, ſonoque moderantia ? Non uno ore omnia, vel muta, fauſtiſſimum, feliciſſimumque fati omen non tam humano, quam Divino conſilio palam arguunt, ac profitentur ? Nec mirum, quum nulli aetati viſum ſit expreſſius, aut laudabilius Matrimonii decus, cui non vinculum modò, ſed amicitia quoque individua ſit, quo nihil majus, aut ad gaudium veſtrum, aut ad ſpem publicam contingere potuerat. Vident omnes, in ſumma ſimilitudine eſſe conſtitutum, unde facile conjecturam faciunt, fauſtiſſimum fore. Quum igitur univerſi in veſtrae ſummae felicitatis ſumma gratulatione verſemur, & in communi laetitia ſuam quiſque navet operam, ut quo liceat officio, ac pignore, ſua in vos voluntas comprobetur; in tanta rerum, ac hominum copia, in tanto bonorum conſenſu, atque frequentia, ad veſtras ſanctiſſimas nuptias concelebrandas, quas partes officii peragent artes liberales, quarum domicilium iiſdem fere finibus, quibus nomen veſtrum, terminatur, quo munere, inquam, perfungentur, niſi per vos licuerit, ut pectora ſpiritu fortaſſe Divino afflata, atque imbuta ſuas quoque voces edant? Adeſt enim hic tota pene Apollinis Familia, ut immortalia ſerta capiti veſtro contexat, cujus gratiam male dimittere omnino non debetis.

Nam

Digitized by Google

467

Nam quo minus aliorum teſtimonio indigeat virtus, dignitaſque veſtra in ore, atque animo omnium non civium modo, verum etiam exterorum verſata, eo minus modeſtia veſtra offendetur, ſi teſtatae, atque certiſſimae laudes ita audiantur, ut neque ad ingenii, neque ad rei fictae inſolentem oſtentationem invidiae ventos exagitandam exſuſcitent. Illud vero maxime cenſendum, ut ex audacia, & confidentia, qua ego potiſſimum, & primus in hanc contentionem deſcenderim, longe viribus ſuperiorem, futurum, quod certe erit, pro ornamento ſit detrimentum. Quemadmodum enim omnium pictorum inertia ad perficiendam Veneris Coae partem illam, quam Apelles infectam reliquerat, illius ſummam, & omni arte ſuperiorem declaravit pulchritudinem; ita hoc ornatior, & luculentior veſtra dignitas ſpectabitur, quo inferiora rebus verba noteſcent. Ne tamen in labyrinthum iſtum ſine Theſeio filo me immiſerim, ſic Te precor, & obteſtor, Lumen aeternum, ut ad eum modulum, ac finem in abſtruſa tuae ſapientiae penetralia & gloriam, & veritatem inſpicere liceat, quatenus ita nobis perſuadeatur, hoc, quod agitur, Te tam praeſcire, quam velle, aut potius quod praeſciſſes, voluiſſe, quam noluiſſe, quod praeſciſſes. Deus me reſpexit, votaque audiit. Quod bonum, fauſtum, felixque vobis, novi conjuges, liberiſque futuris auguror, id ut bona mente au-

Digitized by Google

466

diatis, oro, atque obſecro. Quod ut facere poſſitis, operam dabo, ne ampliſſimo & apertiſſimo campo oratio mea vaga & ſoluta debacchetur, ſi hoc unum agam, ut de felicitate nuptiarum congratuler, quam ex earum aequitate, & ſimilitudine, ut nullarum ante, cognoſcimus; ſimilitudinem verò primam, ac praecipuam in virtute intelligamus ſitam, tum ratio ducatur reliquarum rerum omnium, quae huc facere videantur. At quibus? Neque enim ad vos ſolos haec gratulatio pertineat, ſi praerogativum nuptiarum omen cogitemus, quod ſane quam communia & publica vota continet, ut ex Mazacarorum gente nobiliſſima atque ornatiſſima ſemper exſiſtat geminus aliquis Thomas, quem Patriae gratulemur Patrem, Principi Patriciorum Principem, Religioni propugnatorem acerrimum, togatae eloquentiae reparatorem, ſapientiae interpretem certiſſimum. Hoc enim unum communi omnium animantium fati neceſſitati ſubſtituit remedium, hoc machinata eſt natura ad generis perpetuitatem vinculum admirabilius, quam exoptabilius, magis neceſſarium, quam jucundius (quis dubitet?) hominum generi praeſertim, cum labem illam perpetuam ingerat ab ultima omnium hominum memoria. At certe ex quo Numinis praeſentiam, dignitatem, ac poteſtatem ab eo acceperit, qui ſe ſe ad humanitatem ita demiſit, ut in matrimonii nomen Gentium omnium fidelem ſocietatem induceret, quo luem illam peſtiferam, quate-

nus

Digitized by Google

nus quiſque velit, eatenus comprimere ſub manum ſuccedat, quanto venerabilior genialis hic nodus eſt factus, tanto magis expetendus. Quod niſi rebus afflictis ea ſpes veniat ſolatio, fore, ut extinctis tot Civitatis noſtrae luminaribus ſuperiorum temporum, quorum ita lucem urbs noſtra excipiebat, ut in alienas quoque terras remitteret, renaſcantur ſimillima: atque ex maximis doloribus maxima ſuſcitentur gaudia, ut optimis filiis, ac nepotibus, optimorum parentum damna reparentur, viciſſitudineſque naturae non malae, ſed neceſſariae commutationes agnoſcantur; omnia perdita, omnia afflicta, ac deſperata videantur. Detur igitur aditus hic ad perpetuitatem generi optimo, quem optimum tales nuptias praeſtare oportebat, quales nunc ſummo ſtudio, conſenſu concelebramus, & admiramur; quo quis dixerit initas conſilio, niſi Divino! quo conciliatas interprete, niſi Deo! quo praeelectas judicio, niſi mentis purae, integrae, incorruptae! Deus Deus hanc tibi, Petre, Deus hanc tibi, Anna, mentem injecit, ut in fidem hanc conjugalem repente veniretis, ut par viro dignitas, atque uxori venuſtas, eadem ſapientia utrique, generis par nobilitas, atque origo, ac tantum non eadem, unum ingenium, unus animus melius conſtare nuſquam poſſit. Nuſquam enim quidquam eſſe praeoptabile intelligi poteſt, quod non alternum longe praeſtantius in utroque cernatur. Non hinc nobili-

tas

tas pro dote, aut dos pro nobilitate commutatur in mercaturam, ſed doris dos, nobilitatis nobilitas in aequiſſimae amicitiae firmitudinem pretium intercedit. Nec enim inde impar conditio exaequanda erat, quibus & fortuna tantum non eadem exſtat, & aequales numero, ac tempore imagines in atriis dependent. Habet uterque, quod ſibi invicem opponat, & reponat. Utrique Gallia parens: in Rupellanis Principibus ſub Franciſco II. ex Valeſiis, ſub Henrico IV. ex Borboniis Marchantii florebant, quorum memoriam nulla unquam aetas delebit, ita ad belli artes, atque togae vocantur, ut ante. Pervaſit enim Gallias omnes fama Jacobi Marchantii, hominis omnium pro illa aetate eruditiſſimi, cujus exſtant multa ſcripta, & varia, Lipſio (1) Moreto, aliiſque viris doctiſſimis, quorum erat aequalis, probata, ſummiſque laudibus ornata. Inde ſeditionibus Calvinianorum, quos Hugonottas appellant, excitatis, nec dum domitis, in Italiam profecti, ad Herculis portum in Hetruria ſedem poſuere. Ibi omnium primorum ſuffragiis ad ſummum Civitatis gradum admiſſi. Ex quibus ab ante centum & triginta annos prope celebratur Origenes proavus tuus, Anna, in aevum ſempiternum, cujus in gloriam ſucceſſit Ludovicus filius, & in eandem ſummam dignitatem, ad quam aditus nobiliſſimis, & Civitatis principibus modo patet. Proinde Franciſcus quoque Pater tuus eodem munere ſumma cum laude

perſun-

(1) Tom. 2, cent. 3. Miſcell. Lipſii Ep. 23.

Digitized by Google

perfunctus, Neapolim ab Rege Noſtro accitus pro dignitate ſua, Civitate donatus, in Regia Camera Summariae conſtitutus eſt Praeſes, & in militia Praetor. Valuit enim apud Borbonium Regem noſtrum clementiſſimum memoria Marchantiorum, ut apud Ludovicum Galliarum Regem, donec exſtitêre, qui pro religione, pro Majeſtate propugnaſſent. Tantique fuit Patris tui fides, ut in ſummis periculis Regiae vitae comitem adjungeret, & cuſtodem. Clades Germanica apud Velitras ei teſtis eſt graviſſima, laudis, quam quidem ſummam promeruit. Gravior teſtis ſumma Regis in eum benevolentia. Gravior quoque ſua ſibi virtus, ac prudentia, qua viget ita, ut ad majora laudis inſignia in dies vocetur. Documentum eſt apud Regem, qua temperantia, qua abſtinentia, qua legum ſcientia Apulia Provincia gerenda ſit, cui jam iterum cum omnium laudatione graviſſima & ornatiſſima praeeſt. Ex Urbe Montiſpeſſulani, quae eſt in Vaſconibus, qui confines ſunt Antegavis, ubi Rupellae, emigrarunt, qui te a Matre majores contingunt, Petre, in Hetruriam ipſam, domiciliumque ſuum apud eundem Herculis portum collocarunt, iiſdem tempeſtatibus, domeſticis, inteſtiniſque bellis jactati. Jam enim ex anno Chriſtiano CIↃIↃCXVI. (in quem congruere videtur etiam Marchantiorum tempus) Jacobum Teronum Jacobi junioris patrem non in Civitatem modo, ſed & in patriciorum ordinem adſcriptum

ſcriptum eſſe conſtat . Ibi cum nobiliſſimis totius Hetruriae familiis , quarum aliquot honoris gratia nominamus , affinitate devinciuntur , Piccolominis Senenſibus , Franciſcis , & Ruſſis Piſanis , Marchettis Piſtorienſibus , Sanctiis Bononienſibus . Denique ex Maria Anna Sanctia Jacobus ille junior Joſephum , Thomam , & Joannem Michaelem ſuſcepit . Qui cum in hoc Regnum demigraſſent , Thomas quidem Alexii Irenem Palladinam , ſuae Civitatis facile principem (unde orta Margarita , nunc uxor Orontii Mareſgalli ex ipſius Civitatis patriciis antiquiſſimis) in matrimonium duxit . Deinde Venetias ab Imperatore Carolo VI. legatus mittitur , qua in legatione vita defungitur; Joannes verò Michaël Barnabitarum Ordinem ingreſſus , vir integerrimus , ac ſapientiſſimus prius Urbevetanam Eccleſiam , inde Venuſinum Epiſcopatum ſumma fide , ac religione adminiſtravit : noviſſime Joſephus Juliam Gaudioſam Baroniae honore inſignem duxit , ex qua ſuſcepit Mariam Annam matrem tuam , omnibus rebus ornatiſſimam , quam velut exemplar ad imitandum muliebri ſexui pudicitia , ac verecundia ; viris ad aemulandum , & erubeſcendum virtus , ac ſapientia propoſitam habet : Cujus inter majores , ex quo in Gallia degerent, habes Beatum Berardinum Teronum Benedictini Ordinis ſplendorem , quem Chriſtianus Orbis totus veneratur , qui vivens Congregationem in Diocceſi Carnutenſi inſtituerat. Omitto

Digitized by Google

to Mazacarorum affines in Hiſpania Ramireſios, Silvios, Echeverrias: in Italia Salernitanos Patricios Mattios : Juvenatianos, Federicios : Sulmonenſes, Honuphrios : Neapolitanos, Caracciolos, (2) alioſque ejuſdem notae viros ſuae civitatis facile primos. Ad ſuprema Regis munia ex utraque domo evocati ſunt pariter. Nulla unquam tempora Thomam Mazacarum non complorabunt, quem in foro pro eloquentia ſua ſolum regnantem per illud quidem tempus ſummorum oratorum fertiliſſimum: inde Joſepho imperante pro ſubſelliis, pro tribunali jura dicentem, in Regia Camera Praeſidentem, & Fiſci Patronum, in Camera Sanctae Clarae Conſiliarium, inde apud Clementem XI. Regiae legationis cauſa, qua perfunctum, & in patriam regreſſum ſub Carolo VI. in Regia Cancellaria, in Collaterali Senatu Principem, Garannionis Ducem Imperiali voce conſalutatum, incolumitati publicae, annonae, & frumentariae procurationi, commercio exterarum gentium Praefectum, in Regno Caeſaris procuratorem generalem aetas noſtra vidit. Nullum vivo illo periculum, nullam calamitatem, nullum bellum, nullam peſtem, aut famem, quamvis ſaepe invaſerint, ſenſimus. Tantaque dignitate, ac gravitate aequabiliter, rectiſſimeque jus dicentem vidimus, ut caeteri illo quaſi duce, ac magiſtro ad omnia uterentur. Hinc ab omnibus dignitatum faſtigiis,

(2) *P. Johan. Fiore*, Calabria illuſtrata, *tom.* 1. *lib.* 1. *p.* 2. *cap.* 5. *edit. Neap. ann.* 1629.

humanarum rerum pulcre emeritis ſtipendiis, curis vacuus, & laboribus feſſus, tanquam in Capitolium triumphans, in Deum gratus, & in patriam, inſcripta laureata fronte, in Coeli domicilium ſuum immigravit. Sic enim vitae, & Reip. rationes adminiſtravit, ut quos Senatus Pop. Rom. florentiſſimis temporibus, cum nemo reperiri poſſet, quin bonus eſſet, ſummis, maximiſque viris titulos adſcribebat, hos omnes Viri virtus nativa, ac gentilitia ſibi proprios, aeternoſque vindicarit. Ut ſuper alia frugi, quo L. Piſo vir optimus, & Corculum, & Catus ut Pub. Scipio Naſica, ſapiens ut Laelius, ab univerſo Senatu, a Principe ipſo, atque uno omnium ore, conſenſuque ſit appellatus. Nec ſatis pro merito decus fuiſſe, omnium opinio eſt. Nec falſa, quum virtuti potius honores deficere, quam virtutem honoribus, ille omnium hominum unus, ac primus, niſi quid me fallit, praeclariſſime docuerit. Ita omnibus ſummis honoribus, muneribus, & oneribus cum vita pariter functus eſt, ut maximum eloquentiae, majus fidei, integritatis, ſapientiae, conſilii, frugalitatis deſiderium apud omnes relinqueret. Quod magna, & liberaliſſima atteſtatione quotannis in totam familiam Caeſar ipſe confirmavit. Neque mors illi aliud fuit, quam dux in Coelum, ut à malis ad beatiſſimum, ſempiternumque aevum, a tempeſtatibus in portum tutiſſimum abduceret. Vivit enim immortalis magna Viri pars, at-

que

Digitized by Google

que per omnem poſteritatem ſua fama volitabit. Itaque ſi novus, ac primus e familia fuiſſet, qui ad nobilitatem efferretur, vel ita omnes alias facile una haec unius honorum amplitudine familias transſcendiſſet. Nulla certe familia univerſos a diverſis delibavit honores, qui uni viro ad immortalitatem nato contigerunt. Sed hoc de familia tua dici non poteſt: ſunt enim & alii majores tui, & multi, quorum non diſſimilis virtus, ac fortuna ad auguſtae domus gratiam, ac benevolentiam penetravit. De Ferdinando I. optime meritos Johannem Baptiſtam, & Petrum Mazacaros, rebus praeclariſſimis domi, militiaeque geſtis, prope tertio ante ſeculo gloria, atque honoribus floruiſſe, annales, ac tabulae Regiae teſtantur. Porro Dominicum proavum tuum Philippus III. trecentorum coronatorum annuo in perpetuum honore cumulavit. Quid pluribus immorer? tanquam in haereditaria bona, in dignitatem, & amplitudinem nimio longiorem progeniem, quam ut memoria repeti poſſit, ſucceſſiſſe, monumentis locupletiſſimis traditum eſt. Hanc ornamentorum copiam, quam conſtructam uno in loco quaſi per transſennam ſtrictim domi tuae, Petre, domi tuae, Anna, conſpeximus, ne in lucem expoſitam, apertamque proferamus, modeſtia veſtra, temporiſque inopia nos monent. Nihil enim aliud propoſiti ratio poſtulat, quam ut veſtigia percurramus, quibus fata lumen praetulere,

Digitized by Google

L76

tulere , ut in hanc amoris neceſſitudinem , ac conjunctionem iiſdem certis , ac luculentis viis pariter duceremini . Unus utrique locus datus origini; fortuna ſemper in una, eademque navi eadem per tempora , atque loca utramque procurrentem gentem eſt comitata · Quarum rerum ſimilitudo eam vobis amicitiae conſtantiam , ac felicitatem allatura eſt , qua nihil eſſe ad feliciſſimam vitae ineundam rationem validius , ditius , affluentius , nihil ad res naturae ſecundas aptius , atque adverſas facile & recte ferendas , ſapientes arbitrantur . Hoc igitur fauſtum pro Mazacarorum gentis petennitate fatum erar , unde nihil , quod improbes, unquam eſt exortum ; nihil , quod poeniteat ; nihil , quod officium deſideret , emanavit ; ſed quaecumque de ſtirpe prope divinitus ſata exſpectanda eſſent , ita ſuppetiere omnia , ut nul!a aut privata , aut publica tempora ejus opem , munificentiam , prudentiam , conſilium , operam ignorent . Omnem ingenii fructum , & virtutis , omniſque praeſtantiae tum maxime Mazacari ſe accipere , arbitrantur , quum in proximum quemque eum conferri, fortuna patiatur . Ita merito nil antiquius , & optatius Neapolitanis ex omni ordine civibus , nihil patriae gratius fuerit , quam ut omnium animis acceptiſſimam familiam optima , & eximia ſpe liberorum praeditam , & auctam videret . Ad matrimonium tuum ſpes omnium cogitationum , & conſiliorum ſpectabat . Quum

enim

Digitized by Google

enim caeteri fratres tui aut Deo caſtitatem voviſſent, aut corporis imbecillitate, aut animi narura a nuptiis abhorrerent, quo liberius juriſprudentiae caſtra ſequerentur, in te unum omnium oculi conjiciebantur. Quem vero communia, & paterna etiam conſilia in hoc deſtinarant, ut ſobolem, ac ſtirpem duceret, eum ad tertium ac rrigeſimum uſque annum illibatum animum, & coelibatus amorem, ſtatus maritalis delicatius faſtidium diſtuliſſe, aegre ferebant. Quod quidem vix decemvirales tabulae, aur domeſtica, aut civilis ratio pati poterat. Nec de ſumma omnium hominum exſpectatione verebaris, nec ſine ſtomacho, atquę animi offenſione de nuptiali re audire poreras, prorſus ut in alia omnia iturus, quam in connubia, ne caſtitatem abs te ſejungeres, videreris. Tantam hominum familiariſſimorum accuſationem profecto moderatiorem, quam res flagitabat, nec e republica, nec privata te tamdiu contemnere, omnes mirabamur. Jam vero nunc omnes intelligimus, quae cauſſa quam juſta, quam gravis, non ſolum communi, verum etiam tuae ipſius ſententiae intercederet, ut in hoc rempus res deveniret, quo fara quam commodiſſime vocabant. Nunc videmus, hoc quoque, ut caetera, ex infinitae mentis munere in animum tibi inductum matrimonium: nunc omnia, quae recte fiunt, fato praeſtituta, ante oculos eſt poſitum. Nunc munificentiſſimam, ac liberaliſ-

ſimam

Digitized by Google

178

ſimam in te, tuoſque & conſanguineos, & cives Dei voluntatem non ſine magno pudore agnoſcimus. Nunc enim videmus, qua ne cogitatione quidem, ac noſtro ipſorum arbitrio meliorem formare, aut confingere poſſemus, eam tibi traditam in manum, quae per aetatem ante duci non poterat. Cur autem nulla alia tempora talem praeſtare poſſent, utriuſque intererat, ne adverſus fati neceſſitudinem obluctaremini. Nec Deus in hominum cognitionem omnia venire patitur, & arrogantiae eſt ea perſcrutari. Hoc ſcimus unum, hoc intelligimus, hoc fatemur omnes, hanc numeris omnibus, quam quarum praeteritorum annorum ſinguli ſingulam duci ſinerent, digniorem haec tempora tuliſſe. Jam aliud ex alio admiramur, quo animi robore toties tibi oblatam matrimonii facultatem, rejeceris: num humano? Quis hoc credat? Ex tota urbe noſtra, & adeo ex omni Italia cum amicorum pro opinione, ac ſtomacho quiſque ſuo, & opibus, copiiſque, & naturae muneribus alii aliam tibi verbis concinnaſſent uxorem, opera, oleoque perdito, ita diſceſſere, ut in diverſas ingenii tui conjecturas ingrederentur. Quibus enim de jure omni reſpondiſſes, quive in foro te tonantem inaudiiſſent, admiratione perfuſi, in legibus, omniumque rerum divinarum, atque humanarum notitia ita confixum tibi animum putabant, ut totus Themidis, nullus Junonis ſacra coleres: qui ad univerſae philoſophiae ef-

fata

Digitized by Google

fata tuam facilitatem, & acumen experti eſſent, jam ſapientiae amorem indiſſolubilem praecepiſſe audiebas : qui ſcripta legiſſent literis Graecis, Latinis, Germanicis, Gallicis, Hiſpanicis, elegantiam, varietatem, efficaciam, proprietatem admirati : quive poematiuncula in otio ab re tua, aut amicorum ſubſecivo profuſa deguſtaſſent, jam te totum muſis mancipabant. Magnas eſſe horum omnium illecebras, ajebant, praecipue virtutis, ac ſapientiae, cujus ſpecie, ſi ſub oculos caderet, omnes omnium amores excitarentur. Sed quia omnia haec ad ſummum virum perficiendum collimabant, ita pro natura, ac judicio tuo infinita ſcriptorum lectione ſubacto haec omnia amaſti, ut quaſi inſtrumento ad omnia naturae officia praeſtanda, & vitam inſtituendam naturae congruentem, & convenientem, uteteris. Nunc vero deſinant mirari, res nata, atque eventus, quo omnia probantur ſive bona, ſive mala (ſaepe enim ſpeciem diverſam uſque eo gerunt, donec in actum ipſum devenerint) hortatur, & monet. In tam illuſtri, & conſpicuo loco hujuſce optimae adoleſcentulae latus poſita, nullum dubitationi locum reliquit, quin ad bonam frugem ſapientiam converteris, optionemque optimam cepiſſe videaris. Haec enim ipſa divini beneficii magnitudinem, atque muneris tantam praefert, ut ejus poteſtatem non ſeram, ſed maxime tempeſtivam, numeroque maturam tibi factam dicamus, idque

480

que maximo cum fructu, ſi praeſertim ad tantam rei praeſtantiam longiſſimi etiam conſortii ad ultimam, ſeriſſimamque ſenectutem, quod ratum, certiſſimumque ſit, accedat uſura. Neque enim ad iram ſine foenore, nec ad liberalitatem ſegnior eſt Deus. Hoc enim fauſtitatis munus abſtinentiae, hoc temperantiae, hoc juſtitiae, hoc humanitati, hoc pietati, ac religioni tuae, non fortunae gratulamur, Petre, quodque tibi pro tua modeſtia auditu graviſſimum eſt, id veritas ingenua, atque utilitas communis ex ore exculpit. Aequiſſimum enim, & ad imitandum utiliſſimum exemplum, quodque quiſque domi ſuae propoſitum habeat ad providentiae divinae rationem admirandam digniſſimum exiſtimamus, poſteritati non invidemus. Paternae induſtriae magnam exſpectationem, majorem ingenii, atque gloriae opinionem ſuſtines. Quos enim naturae igniculos acceperis, quae ſemina virtutum patrius ſanguis ingenerarit, quam doctrinam pater ipſe adhibuerit, neſcio quid praeclarum, ac ſingulare ex iis exſiſtere ſolet, ac poteſt. Poterat hoc ſatis eſſe ad ſummam gloriam. Sed acceſſit ſapientiſſimae, graviſſimae, ornatiſſimaeque matris, qua uteris, conſilium, ac prudentia ſingularis. Haec nihil quam vigili virtutum omnium corona ſeptis ſenſibus ad aequabiliſſimum vitae genus ſeſe informavit. Omitto quas natura ei dederit ſummas dotes, (ne moleſtior tantae modeſtiae, & gravitati,

quam

Digitized by Google

quam officio meo jucundior, ac plenior mea ſit oratio) in quibus ſupra fidem fortitudo: immenſas opes, in quibus in pauperes largitio: labores, & curas, in quibus patientia adverſus omnes caſus: ſecundas res, ac potentiam, in quibus moderatio, abſtinentia actum ſuum admirabili conſenſu, & concentu exhibeant; omnia haec praetermitto. Hanc ad omnia pari, eademque virtute praeditam non modo nulla, quas Romana, aut Graeca vetuſtas jactavit Matronas, anteceſſit, nec praeſtantior futuri temporis altera excipiet, ſed alter quoque ſexus velut humi ſtratus hujus altiorem ſplendorem ne ſuſpicere quidem poteſt. Hujus frugalitas & exemplo, & verbis te ad omnia vitae, virtutiſque officia & informavit, & confirmavit, nullam vitam tibi datam rata, niſi te ſapienter vivere vidiſſet. Quo nihil ſapientius ad reipublicae ſalutem, ad religionem, ac pietatem, ad vitam, & felicitatem, aut facto difficilius, aut imitatione utilius eſſe poſſet, id ſibi propoſuit ſummis viribus moliendum, hos ſibi ſanctiſſimae induſtriae, laboris, & vigiliarum ſtimulos addidit contentius, quam pro muliebri ingenio, vel potius humana natura, ne quid liberorum ſuorum unquam poeniteat, optimoque conſilio omnia, quae timenda erant, provideret, vitaret, effugeret, repelleret. Non in ſpeculo, ſed in ſpecula eſſet, ne quid uſquam imprudentem opprimeret: ſegetem ſpicis uberrimis confertiſſimam ſeſe ha-

bituram, cum Deo volente, ſperaret, ſi avenas diſcluſiſſet, noxiamve, aut ſterilem ſtirpem nullam reliquiſſet. Optimam ſpem Deo probavit, docetque, ut agros ſine cultura fertiles eſſe non poſſunt, ita & animos ſine doctrina, atque inſtitutione ſteriles eſſe oportere. Intelligebat profecto mater ſapientiſſima, parentes ut quam ampliſſima liberis relinquant patrimonia, quibus ad victum, & cultum utantur, ſpe bene tradendi facile falli oportere; quibus vero animi, menteſque exornantur, ita propria, atque aeterna eſſe, ut nullo impetu, nulla vi eripi, aut diſtrahi poſſint. Si haec prae illa haereditate habeatur, urramque fore conſecutos, ut nec commodorum copiam ſatis magnam, nec bonam, ſtabiliſſimamque ſapientiae frugem haeredes amiſerint. Hanc animi ſententiam graviſſimis, ſummiſque viris digniſſimam, in muliere incredibilem, aut divinam, tamen alio ſale ipſa, quem non niſi ipſa inſpergeret ſapientia, conditam in horas familiae propinavit; nullius eſſe prae virtute momenti omnes Indiae auri, argentique venas: aut ſi in altera lance terras omnes, in altera ſolidioris prudentiae, aut fortitudinis aliquantulum collocari poſſet, illud fore ait, ut terras omnes ad ſummum aërem ſublatas, virtutem ad imas pelagi aquas demiſſam videret: hanc coleret, hac gauderet, huic viveret, omnia, vel vitam deſpiceret, amitteret, ne quid huic detraheretur. Haec tibi in ſpem ſummae

Digitized by Google

mae amplitudinis alendo materna manus fundamenta jecit, ut quo vix aetas, & ratio ſenilis diuturno uſu per varios fortunae caſus confirmata, aut diſciplina doctiſſimorum hominum per vigilias, & literarum ſtudia provecta conſcenderit, inde prima ineuntis aetatis rudimenta tua inciperent. Hoc ſi mater, quid tibi ille omnium ſcientiarum ſacrarium uberrimum, omnis fortunae moderator, Italiae oraculum amplius dederit? Quid tibi ad dignitatem amplius, quid ad gloriam illuſtrius, quid ad inſtitutionem, ac doctrinam facilius, certius, foecundius Pater addiderit? Nullus cumulus accedere poterat ad tantam maternae induſtriae amplitudinem. Tamen acceſſit, quod ad conſummatam perfectiſſimamque diſciplinam omnia ſumma ingenia, omnia religionis adyta, omnes omnium artium choragi, aut choriphaei adhiberentur; maximoque impendio maximos ſeſe quaeſtus facturos, parentes arbitrarentur. Quorum ſpem, & opinionem ipſe nec fefelliſti, & exſpectationem longe viciſti. Nec enim vaticinium, quo Summus Pontifex Clemens XI. recens Romae natum proſequutus eſt, fallere poterat. Aderat ibi pater legatione Regia cum matre gravi, quo tibi majus decus accederet, ut ad religioſiſſimam ſedem, & omnium terrarum caput natalem illum fortunatiſſimum haberes, Romanaque Civitate inſignior eſſes, & Pontificis bene precantis poteſtas tibi fieret: quem, inquit, Thoma, in

484

urbe principe ſuſcepiſti filium , hic in familia princeps erit, a quo in omnes annos ad virtutem, laudemque propagabitur, fratribus dilectiſſimus, civibus, exteriſque admirabilis. Re magna ex parte jam perſpecta, & cognita, vocem illam ſanctam ratam ad ſummam uſque ſenectutem cum ſatis multa, & optima ſobole fore, nefas eſt non confidere. Pueritiam quidem ita egiſti, ut praecocem ſapientiam & admirarentur, & timerent, inter pueros ut ſenex, corpore tenui, teneroque vaſtam, maturamque conſilio mentem prae te ferres; ex ephebis ad philoſophos, inde ad ſophiſtas, ac rhetoras; demum ad juriſconſultos, & theologos celeritate mentis ſpatii metas praevertiſſes, nec tamen induſtriam, ac ſtudium minueres. Excepit forum oratorem tanta eloquentia, tanta rerum omnium prudentia, tanta fide, & integritate, ut ad te ſtatim ex omnibus regni finibus confluerent optimates, qui privatas, & maximarum civitatium Procuratores, qui publicas cauſſas ampliſſimis verbis tibi commendarent, in quibus Butuntini, Barienſes, Crotoniatae: inceſſeret ſenatores ipſos ultro tui exornandi cupiditas, ut tibi a Caeſare tunc rerum potente, honorem togae peterent, quem etſi recuſabas, tamen eo magis pro imperio ſatis habebat, ut daret Caeſar, niſi regno ceſſiſſet. Fortunae publicae vices haec, qua fruimur, Felicitas Regia eſt conſequuta, nec tuam dignita-

tem

Digitized by Google

tem imminuit: una tibi ſemper, eademque conditio non ex fortunae, aut hominum arbitrio, ſed ex virtutis aequitate, & immutabilitate conſtat. Movit enim illico tui nominis fama Regem, ut tibi provinciam decerneret, qua in parte reſpublica tunc quidem maxime laborabat. Gratiae, ut debuiſti; quod oblatum erat, illi appoſuiſti; quod in cauſſa eſſet, cur recuſares, probaſti. Quid fiet poſtea, divinatione nihil opus. Nihil eſt, quod ab invidia timeas, cujus cauſſa boni quidem omnes omnia cupiunt, mali vero quum nihil habeant, quod appetant, & tuta ipſo loco laus tua ſit, altiore, quam ut adſcenſum moliri poſſint, contemnas, nec timendos duxeris. Quod cupiditate praevertas, nihil eſt: ambitioſa feſtinatio nulla poteſt eſſe in ſumma gravitate, & conſtantia; nihil, quod magis animi altitudo dejiciat, quam ambitionem rei publicae peſtem. Haec tua tamen lenitas, & moderatio tanta quos fructus paritura ſit, Regium eſt judicium. Qui ſic intentis oculis omnes reipublicae partes intuetur, & in publica commoda ita vigilat, ut neque ſomno improbitas, & perfidia, nec ſimplicitati calliditas inſidiari poſſit, illud non commiſſurum, ut deſiderari patiatur, quod publice neceſſarium, aut utiliſſimum putaverit, ab ejus ſummo, ac profuſo in bonos animo tibi facile praeſtabo. Indulgentiae, ac liberalitatis ardorem, quem divino pectore incluſum, & compreſſum habet, jam emerget,

pro-

Digitized by Google

466

profundetque in te exornandum, ut in eundem, quo tuus olim pater rem publicam obtinebat, vel invitus gradum adſciſcaris. Nec enim tibi uni, aut multis, ſed toti patriae natus, & civibus univerſis tuae vitae officia, quot, & quanta eſſe debeant, non ſemper in amicorum tantum fortunis exſolvere potes, ſed tandem aliquando etiam in reipublicae dignitate. Quod nihil, niſi quod intra virtutis lineam reſtringitur, cogites, gaudeas, hoc ipſum ad rem publicam non temere capeſſendam, ſed recte gerendam ut adferas, obſecramus. Iis enim ſolis credenda eſt rei publicae ſalus, ac dignitas, non qui a pertinacia, & cupiditate, atque impudentia progreſſus magnos ſe facere ſtudent, ſed qui a frugalitate, ac prudentia rei publicae conſulant, eamque vice ſacra ſatis ex Regii animi ſententia tueantur: communis utilitatis, & ſalutis non deſertores, ſed defenſores praeoptantur. Succedas igitur, ſuccedas Thomae paterno muneri vicarius, qui in ejus ingenii,animique amplitudinem ſucceſſeris, ne plures, quam Rex ipſe velit, tui patris triſti deſiderio accedant anni. Novimus quam complorata neceſſitas illa fuerit ſummo, ac totius Hiſpaniae fortiſſimo viro, Principi Excellentiſſimo, quem honoris gratia nomino, Benavido olim noſtri Regis inſtitutori, & primo patricio, qui vix ingreſſus Regni fines aliud nihil, quam cupidiſſime rogavit, viveretne adhuc ille? Quum anteceſſiſſe adventui Regio fatum intel-

Digitized by Google

48.

intellexit: O quam mallem , inquit, ut viveret, ut haberet Rex cujus fide, conſiliis, prudentia tanquam praeſidio tutiſſimo ad omnia ſumma uteretur. Comprimes quaeſo dolorem iſtum, Princeps humaniſſime; aut potius ejicies, ſi fieri poſſit, hanc ex animo moleſtiam, quam nos quoque omnes, qui in tuo regno ſumus laetiſſimi, inuſtam ſenſibus percepimus; at tandem naturae beneficio repreſſimus, delinimus, nunc vero etiam delevimus. Jam enim complevit altero tanto munere damna ſua natura ipſa, ut qua vulnus illud rei publicae graviſſimum haſta inflixit, eadem ipſa medicinam faceret, Paterni animi, corporiſque imaginem ſuffecit in filio expreſſam: hanc propones ad exemplar illud, quod in immenſa monumentorum mole exſtat, ac praeſertim in tuo ipſius ſacrario conſtructa, nihil deficere compereris. Nihil tibi, tuiſque fortunatius contingere poteſt, quam ſi honoribus tuis ab inertia ad laborem, ab ſomno ad vigilantiam, a luxuria ad frugalitatem homines convertantur. Siquidem quas maxime utiles experiuntur artes, eas maxime conſectantur. Proinde e republica, & ex tua ſapientia eſt, ut recuſantes potius cogas, quam ambientes non repellas; ut plus modeſtia, ſol, & virtutum omnium anima, ex tua liberalitate auferat, quam malorum omnium latibulum ambitio ſurripiat. His modis agendum erit tecum, Petre, ne virtus tua, quatenus in tenebris jaceret, quam

in

Digitized by Google

468

In lucem proferri mavult, rei publicae noceat. Quo enim magis eſt arduum cuique alios, quam ſe, bonos praeſtare, eo laudabilior eris, ſi alios non facto ſolum, & exemplo, ut privatus, ſed jure, & poteſtate, ut Magiſtratus, tui ſimiles efficias. Tua quidem laus hoc magis eminet, quod meritis debitos honores recuſes. Sed rei publicae hoc intereſt, quod a te poſtulat, ut iſtam laudem majori laude cumules, ſibique conſulas, ne domi prudentia, ac ſapientia tua reſideat, ſed prodeat in medium. Quod ſubjectos tibi curas, eorumque difficultates, ac miſerias facultatibus tuis ſubleves; quod in aerarium tuum eo plus deportari exiſtimes, quo minus auferatur inopiae: quod illorum paupertas opibus tuis utatur: quod jacentes erexeris artes, novas induxeris: quod perditos, ac diſſolutos ad virtutis frugem revocaveris: quod amicitias veritate, neceſſitudines pietate, ſocietates fide, Deum ſumma religione, & cultu ex te colere didicerint: quod nova mulieribus, viris cultiora, quam ante, monaſteria exſtruxeris, haec omnia, & id genus plura, quam ut enumerari poſſint, ad rem, vitamque privatam pertinere: De tuis hiſce laudibus maximum cumulum ne deruas, ad rem publicam, oportere, ut accedas: hanc tibi fore ad gloriae immortalitatem materiam ampliſſimam, quod rem publicam conſiliis tuis bene gerendo dignum te patria haereditate praeſtiteris. Sed has querelas,

las,

Digitized by Google

las, quae de te paſſim habentur, brevi ſubmovebit, qui vult, & quod vult poteſt. Poſt haec gaudia tua generis felicitate Senatorium faſtigium conſequeris, ut qua ſub patre dignitate vixerit, eâdem ſub viro eſſe mereatur nova conjux, a cujus laude jam nimium digreſſi, nunc ut eadem veſtigia repetamus, tacito ipſius monitu revocamur. Urget enim temporis brevitas, urget aequitatis ratio, ne conjugem deſiderium, quod tui diſſimulat, diutius, quam par eſt, ferre perpetiamur. Sed unde magis intelligi potuit, quae eſſet clariſſimae, illuſtriſſimaeque adoleſcentulae indoles, virtus, genus, decor, atque venuſtas, quam ex cunctatione, judicio, longa annorum, locorumque diligentiſſimi juvenis luſtratione? Quid enim erat, cur tam multas, quae in conditionem, optionemque caderent, huic uni potiſſimum poſthabueris? Apellem aliquem ex ſuis coloribus pictam, aut Lyſippum ex arte ſcalpelli fictam effigiem, viro tuo obtuliſſe, quae nuptias conciliaret, antequam te noſcerent, dicebant; quum vero nomen, ac deinde etiam formae pulchritudinem excellentem, in hac vero ſummam modeſtiam, ſumma cum animi prudentia, & praeſentia conjunctam, vultum, corporis ſtatum, motum, vocem; tum vero fatebantur, quod res erat, Apelle, & Lyſippo artificem longe meliorem eſſe naturam, cujus ſolertiam nullam artem, nullam manum, nullum opificem imitando

490

conſequi poſſe ; ubi praeſertim gratiae volentes, faventeſque interſint, ac praeſint. Quod tibi contigiſſe affirmarunt, in quam nihil naturam peccaſſe fatebantur : deeſſe arti lineamenta verae venuſtatis, candorem illum, ac ruborem ſic apte temperatum. Quo colore humana ſolertia tam eminentia virtutum omnium ex fronte indicia, tam venuſtiſſimos oculos, & in oculis gravitatem cum hilaritate compoſitam, tam candidulos dentes expreſſerit? Quemadmodum in erudito Mathematicorum pulvere nullam figuram circulo meliorem inveniri; ſic iſtam in pulchro ſexu pulcherrimam. Quibus verbis tuus hic ſponſus ſolertiſſimus: ſed ita, inquit, ut ego ſim centrum. Illud vero maxime admirati ſunt omnes, (neque enim in his laudibus, in quibus invidia eſſe ſolet, longius commorabor, quam pudor tuus patiatur) quod aetatem longe praeterveheretur ſapientia, audientes ſcilicet per ſummam continendae linguae diligentiam ſermonis celeritatem, ac facilitatem multo ſale conditam: nihil tale unquam excidiſſe, quod non ſupra aetatem, & adeo ſupra humanum ingenium eſſe videretur. In re domeſtica non injucundum tibi laborem, non graves matronarum Romanarum, aut Spartanarum ad muliebria opificia curas: otii vero ſi quid ab re ſit reliquum, id nunquam otioſum, non languidum, ſed curioſum, honeſtiſſimum, ſcilicet literarum ſtudium, cujus fructus eſt uberrimus in te prudentia:

dentia:

Digitized by Google

dentia : quippe cui non temere ad omnes libros placeat accedere, ſed in ſacris verſari, aut ſapientiſſimorum hominum vitae praeceptis, quae tuum animum ad fortitudinem, ad humanitatem, ad temperantiam ita conformarunt, ut non dolore, non ira, non metu, non laetitia, non cupiditate, non ſpe efferatur, ut ſimplicitas cum gravitate, & munditie conſpiret, ne quid vani, aut odioſi elegantia, & concinnitas, ne quid inhumani, ac ruſtici negligentia pariat: cum lepore, & hilaritate ſeveritas, cum dignitate, ac majeſtate clementia, & humanitas, ſuus aetati pudor cum conſilio non ſuo, animi, & corporis natura, & cultus, & habitus aequabiliter concentum admirabilem ſervare videantur. Quis non conclamet generoſam ſtirpem, cui natura tam larga, tam benigna, tam prodiga ſuarum divitiarum fuerit. Agitedum internoſcamus, quam aptus connubialis hic nodus Gordiano nodo indiſſolubilior ſit futurus. Quid enim inveniri potuit in viro virtutis, quod in te requiratur? Numquid eſt, quod alterius ad alterius conditionem non reſpondeat? Numquid eſt, quod alterutri diſpliceat? Omnia hinc, atque hinc ſibi invicem reſpondeant? Nihil ſit, quod non alternis manibus componatis? O tuum ſemper veriſſimum, Petre, conſilium! O tuum, Anna, judicium certiſſimum! Quid compoſitius? Quid concinnius inveniri, aut concipi poteſt, quod magis, quam hoc ab

D 2 aeterna

-92

aeterna veritate, & ſapientia conflatum vinculum eſſe videatur? Non humani conſilii eſt optio, quae nihil fallitur, ubi nulla animi diverſitas, ſed omnia ſimillima, omnia unum. O felix conſortium, ubi conſors, & concors idem eſt. Concordia igitur, & faecunditas aut tali Sponſae, aut nulli, pronubae. Appoſita ad tranquillitatem tanta ſimilitudo eſt, ut non modo geminus, ſed unus, idemque videatur animus, una, eademque virtus, & natura compoſita. Etſi unde inquiramus, quae videmus, non oportet, juvat tamen ea animo percurrere, ac cogitare, quae tuae educationis, & inſtitutionis cura parentum fuerit. Haec enim plurimum poſſe ad virtutis vulgares gradus, ſi qui ſunt, tranſcendendos, & ad ſummum apicem, in quo es, attingendum, nemo negaverit. Rem ſane memoria digniſſimam, & exemplo utiliſſimam puto, quod ab optimis, nobiliſſimiſque parentibus adhuc infantem Senas ablegarint, Hetruriae Urbem, morum ſuavitate, liberalitate, & fide, & cultu clariſſimam, ad nobiliſſimas, honeſtiſſimas, integerrimas, ſanctiſſimas virgines, inſtitutis, praeceptiſque divi Dominici vitam agentes. Certe conſideratiſſimi conſilii, & maximi impendii fuit tam domo procul ſejunctam habere filiam, ſedemque inſtitutionis praeoptare Senas ſub coelo tenui, & ſalubri, quo acutiores homines reddi, haud perperam putantur. Quae Urbs in media ferme Italia tan-

quam

Digitized by Google

quam ocellus, eſt poſita a Gallis Senonibus operibus quidem magnificis, ſplendidiſque antiquorum hominum artibus aſpectabilis, in oculos venuſtiſſime incurrentibus undique aedificiis, ac domibus, vicis, viiſque ordine exaequatis, fanis, templiſque admirabili architectura exſtructis, areis ampliſſimis: quarum una miro artificio cochleae formam referens tantam aeſtate ex fontibus perennibus excipit aquam, ut ad ludicras navales pugnas Romanam magnificentiam aemulantes commoda, & opportuna ſe ſe offerat. Sed multo magis, quam opibus Graecarum artium plena humanitatis domicilium. Sunt enim aliae exteris, aliae civibus eloquentiae, atquae aliae ſapientiae officinae, atque academiae celeberrimae, unde ingenia ab antiquiſſimis temporibus florentiſſima, atque excellentiſſima exſtitêre: unde ad Pontificiam Sedem evocati ſunt Alexander III, Aeneas Sylvius, ſeu Pius II, Alexander VII Utque aequiſſima videatur viris mater, atque mulieribus, inde eſt, quae toto Chriſtiano Orbe colitur Diva Catharina ex eodem Divi Dominici coetu, quae, dum vixit, & ſanctitatis, & theologiae miraculum appellabatur a Gregorio XI, tum ab Urbano VI Servant religioſiſſima illius veſtigia Senenſes virgines, in quibus ita pueritiam, ac pubertatem egiſti, ut aegerrime una alumna careant, nec niſi invitiſſime e ſinu abductam dimiſerint. Non enim ut creditam, ſed ut uſucaptam ſibi retinere

cupie-

494

cupiebant, ſacriſque initiari oportere, contendebant. Aſpirare ad ſuperas, coeleſteſque nuptias viſa, quod nullius conditio tibi placuiſſet, neque quidquam minus, quam virum meditareris, & ad ſanctimoniam ſpe longius progreſſa ita illarum animos obfirmaras, ut limina ſacra exire difficillime paterentur. Eadem quidem & tibi de te fuit opinio, ſed a fatis aliena, atque devia. Itaque, ut inde parentum juſſu eximereris, atque illarum artes, & tuae eluderentur, fuit majoris artis opus. Ita vix annum eſt, cum ex illo omnium optimarum artium, atque virtutum ſeminario flos integerrimus abes. Inde quid arripueris, hauſeris, imbiberis ex illo fonte diviniſſimo, facile cognoſcimus. Virtutem avitam, prudentiam, humanitatem quo cultu auxeris, facile eſt aeſtimare. Tantum vero linguae ſplendorem non aliunde te habere, fateberis, quam ex illa gente, natura, & cultu, & humanitate omnibus gentibus anteferenda: ubi non modo nobilitas, ſed ruſtici, atque humiles ex tota Italia politiſſimi ſunt, & elegantiſſime omnium loquuntur. Hujus conſilii, quod pietatis, & prudentiae plenum fuit, mater princeps fuit, foemina ſpectatiſſima, atque graviſſima, & ſummo loco orta, mater, inquam, ad tantas laudes potius, quam fortuna, ſignifera fuit, quae, ſimul novit ad ſummam, optimamque ſpem factum puellulae ingenium, nihil eorum, quae ſumma, &

prima

Digitized by Google

prima liberis expetenda eſſent, non celerrime, & in poſterum longiſſime providerit. Segetem ſerendam optimam exiſtimavit, quo frugem meliorem colligere poſſet. At conſilium diſpendioſum, operoſumque fuit. Opibus utendum, non fruendum reſpondebat: qui ſapiendo faciunt, ut deſipiant, aut per luxuriam, aut per avaritiam, quae habent, ſibi adimere: alios pietatis, & officii negligentia in magnificentiae opinionem potius, quam gloriam venire, dum minutiſſima quaeque, & inania efferuntur, alta, & excelſa deprimuntur. Inſana, & praepoſtera conſilia parentes ſimul atque liberos in perniciem rapere: praelucere liberis non vitiis oportere ad turpitudinem, ſed virtute, atque animi magnitudine ad gloriam: longe, longeque praeſtare, liberis carere, quam una ad interitum praecipitari: iniquum eſſe filiis corporis magis, quam animi alimenta praebere: neque in alia re magis ingraveſcentem aetatem, quam in bene conſtituta familia conquieſcere poſſe. En graviſſimae matronae fortitudinem! de Lacedaemonia crederes eſſe ſeveritate, quaſi illa ſit, quam ſaepiſſime jactant Leonidae uxorem, aut de Porcia gente Romanorum. Praecluſit omnem luxui aditum, ne in educandis liberorum utiliſſimas impenſas praecideret. Nihil ad gloriam uberius duxit, quam filiam ſapientiae diſciplina, & honeſtiſſimis artibus excolendam curare: nihil a pietate alienius, quam quod ad inſtruendam familiam perti-

pertineat, comparcere: filiae, quam in oculis, in ore, in animo, in ſinu geſtabat, deſiderium ferre potius, quam noxia indulgentia delicias habere; nec deteriorem foeminarum conditionem aequitatis eſſe, quam marium liberorum putavit, quos vel in remotiſsimas regiones mittere ſolemus, unde cum robuſtiores, tum peritiores revocentur. Nil mirum, ſi prae quam quod in votis, in optatis, atque in exſpectatione fuit, matris pietas admirabilis ſit aſſequuta. Nam illa quidem nec judicium, aut ſpem matris fefellit, & omnium opinionem longe ſuperavit. Majorem enim inde vitae ſupellectilem matrona digniſsimam, quam pro aetate deportavit: majora etiam, quam fama vulgarat, ad nuptias imprudens detulit ornamenta, aequi, legitimique amoris fomenta, & amicitiae individuae vincula tenaciſsima. Hinc repente arbitrii ratio ad fatum feliciſsimum expedita vergere coepit, cum ante occultae illae cauſſae ex aeternitate penderent: tum vero ſubitae unius primo momenti adſpectu ultrocitroque tacita mente ita volvebantur, ut hinc, atque inde pariter dicere contigerit: quis exſpectaſſet? atque illud Poetae, *o sydus, & occulti miranda potentia fati*. Nil, niſi hunc mihi: nil, niſi hanc mihi Deus. Unde, quorſum hanc mihi. Unde, quorſum hanc mihi flammam? Inde oculi turgidiores, receſſus, aeſtus, pallor, frons varia, quamvis pudore res diſsimularetur, quod tamen reticeba-

tis,

Digitized by Google

tis, ſignificare coeperunt. Adfuit ſtatim animi praeſentia, ac robur naturâ inſitum : annuum prope ex ſuperna illa divinitate conſulunt oracula, dubitare, ex cupiditate ſua, an ex divino conſilio nuptiarum poteſtas eſſet: timere, ne ſenſus potius captarentur, quam voluntas a divina voluntate urgeretur. Sed non rebellabat opinio, nec tum quidem ſenſus mentiebantur; tamen recte influentes aeſtus eatenus ratio repreſſit, donec numerus, moduſque conſtaret. Erat enim tibi, erat & tibi, quod ſua vi mutuo alliceret, non emolumento captans, ſed ſua dignitate trahens. Res tamen palam erat, non aliunde, quam ex fatis, iiſque amiciſſimis, ac ſecundiſſimis. Quid? Quae fides? Prompta, expoſita, certa fides erat in virtute, in religione, ac pietate, in animo, in corpore, in dignitate, in opibus, in ortu, in genere, in educatione, atque diſciplina ſimilitudo. Cujus ſigna, atque argumenta jam pene diſcuſſimus. Notas, atque ſtudia pueritiae, caeteraque omnia in quanta aequalitate fuerint, facile perſpeximus. Qua quid potentius ad omnes vitae rationes communicandas? Quid aptius ad omnes animi ſenſus conjungendos? ad unam ex gemina voluntatem conflandam? ad ſuaviſſimi fortunatiſſimique amoris jugum aequiſſimum, & ſanctiſſimum animoſe ſubeundum? Impium ſit alio, quam ad beneficentiſſimum numen opus magnificum referre, tenuiſſimique animi cauſſam altius inquirere:

:98

ſtulti, aut caeci ea non videre, quae omnium menti, atque oculis obvia ſunt, & aperta. Unde tot rerum coeleſtium, & humanarum conſpiratio? Unde tanta voluntatum, animorumque conjunctio proficiſcatur, ſuperſtitioſa hariolatione nihil opus, ubi ipſa ſe res ſignificatione & exitus, & eventus manifeſtiſſime indicavit, & in diem magis magiſque communem ſpem maſcula fortuna confirmabit, & comprobabit. Nullus enim mentis error vos inflavit, non avaritia, non ambitio novitatis hactenus abripuit, ut Solonis, Lycurgive Graecis, imo potius divinis legibus contemptis, ſimulatam, aut fucoſam amicitiam in ſanctam neceſſitudinem afferretis: qui nullam eſſe nobilitatem, quae pretio redimatur, ſed quae virtute, ac beneficiis in ſuos, in patriam, in cives, exteroſque maximis, & ſummis patiatur, exiſtimatis: qui juſtam a majoribus traditam, acceptamque conſervatis nobilitatem, contemnitis opinabilem illam nobilitatis umbram, quae vulgi opiniones obſcuravit. Non tenebrae, & lux, nec opes, & inopia, nec vitium, & virtus conjunguntur: non ex commodis incommoda, neque ex incommodis commoda hic comparantur; non vitia, & virtutes committuntur, ut boni malos faciant bonos, virtutem acuendo: nec ſuperbia cum ſuperbia, aut avaritia cum intemperantia conflictatur, ut ex malis per malos boni efficiantur: ſed virtus cum virtute, frugalitas cum

fruga-

Digitized by Google

frugalitate Herculeo nodo ſe ſe invicem ita conſtringitur, ut nunquam timendum ſit, ne quod per ſe diſſolvi non poteſt, id amicitia deſerat, aut contumeliis, & conviciis pulſa, aut ſuſpicionibus, dum inferior ab ſuperiore, ſe contemni, putat, & quaecunque dicantur, aut fiant, quamvis ex aequo, ad ſe ſe rapiat; unde irae, turbae, rixae, pugnae. Quos aut commiſeramur, & ad Viriplacam Deam; nempe gratiam remittimus, aut deteſtamur, ſi Sacramentum ipſum ita violetur, ut confirmare animos nequeat ſaltem illius, qui ſapientia, aut dignitate anteſtat, ut ad inferioris ſe ſe demittat rationem, atque ita habeat; ſe quoque in eodem ſtatu eſſe, quod in eodem eſſe potuiſſet & ſtatu, & fortuna, & conditione, aut etiam deteriori. Nihil tale vobis timendum, quod ſi eſſet, ſatis pro animi altitudine alteruter haberet ad hoc ferendum: qui praeter culpam nihil in vita mali eſſe, intelligitis; ſed non optamus, nec Deus ita de vobis conſtituit. Sapienter enim, non confidenter egiſtis: nec veſtra alia, atque alia illius fuit voluntas, nec veſtra illius praevertit voluntatem, aut punctum declinavit. Itaque munificentiſſimo numini gratias, laudeſque immortales agimus, & habemus, quod ut nunquam magis ad felicem, pulcherrimamque matrimonii rationem tanquam in portum tutiſſimum perduxerit, & in aliis potius documentum hoc ſtatuere voluerit, ne vos

Digitized by Google

500

talem amentiam imitaremini, ut ſua libidine ferri, quam ejus authoritate, & inſtinctu, & afflatu duci malint. Illud certe, quod inaudiebamus ex te, Petre, ex illa altiſſima mente fuit (quamquam id Thaletes quoque viderat) ſapienti vix ſapientiam ipſam ducendam eſſe; in libero lecto caſtitati, & ſomno inſervire multo praeſtare, quam in geniali, fidei, & connubio turbulento: ſi, ut a Deo ab initio comparatum fuit, jugum iſtud inveniri poſſet, hactenus optandum eſſe; Sed inventu difficillimum, & prope deſperandum ſine miraculo aliquo divinae clementiae, aut certe in caſtimoniae praemium: qua nullum ſtatum praeſtabiliorem inveniri: ſecundum hunc conjugium eſſe, ſed illius, quae rariſſima eſt, amicitiae, quam conſtare niſi in virtute non poſſe: ut virtutum adjutricem uxorem a natura datam, non vitiorum. Quid eſt hoc? Numquid de te dubitas? An in te peregrinus es, Petre? Quid ni, inquit, de me dubito: neque enim tantum mihi arrogem, ut magis de aliorum conſtantia dubitem, quam de mea: tam mihi infenſa Juno, quam ego Jupiter Junoni fuerim. Quid de me futurum? Quidde illa? Jam qui circa ſteterunt, accipimus, inquiunt, omen. Quod omen? Talem fore Junonem tibi, qualis es tu Jupiter. At quo tandem illi ſpectarent, neſciebant. Qui ita ſuum de te judicium ad ſupernum judicem deferebant, & vota, jam tum hoc gratulabantur

inſcii,

inſcii, quod nunc gratulantur: idemque de omine ſuo eſſe laetantur, votorumque ſe damnatos fidem praeſtitiſſe, congaudent. Jam tum igitur promovebantur nuptiae ante, quam de iis cogitares, aut exſpectares. Nihil enim in his intuemur, quod non ex illis mentis tuae pigmentis fuerit expreſſum. Jam tum ante adumbrabas, Petre, Annam, quam noſſes: effictam ex ſapientia tua, atque adeo Dei, & ex animi tui ſententia deſcriptam habes uxorem: ante laudatam, quam opinatam, ante optatam, atque dilectam, quam ſperatam. Qua ne ille quidem ſapiens Graeciae Thales meliorem cogitarit, deſiderarit, ea te potitum jam gratulamur, laetitiamque tuam laetamur. Tunc ajebas, talem eſſe, oporteret: nunc talis eſt, quo gaudio nil majus eſſe poteſt, hoc nos conſolatur: nihil enim magis erat difficile, quam ut talis inveniri poſſet, qualis non tam inventa, quam munere divino data tibi eſt. Ex luce illa eſt, quae te illuminabat. Mactabas muſis, litaſti muſis, & gratiis: quaerebas ſapientiam, nactus es ſapientiam, & pulchritudinem. Quaerebas te in te, habes te, & alterum idem, quod es. A thalamo tuo exterminata ſunt omnia infeſta, atque inimica, odium, diſcordia, diffidia, perfidia, diſſentiones, ſuſpiciones, moerores, irae, ſimultas, ſimulatio; ſublata enim eſt horum mater Lernaea Hydra ſepticeps, aut potius bellua centiceps, ſuperbia. Sedet haec in diſparitate, in diſſimi-

Digitized by Google

502

diſſimilitudine. Stat contra virtus, cui amor, & amicitia vincta uno nodo, nexuque, mancipioque, conſenſus omnium voluntatum, ſtudiorum, & ſententiarum, & communio divinarum, humanarumque rerum, quarum omnium potens eſt ratio, ſive mens integra, quae una ſedet in vobis. Ex his tranquillitas, robur, valetudo, hinc foecunditas, liberorum ubertas, & felicitas. Agitedum hanc vitae commoditatem, & jucunditatem ſervate diutiſſimam ſacroſancti foederis lumine, cui Spiritus Sanctus de oleo ſuo oleum pinguiſſimum uſque inſtillabit, ut ſemper vigilet, nunquam reſtinguatur: ut juventam toto ſaeculo longiorem, vigentem, validam, nitidam, tardiſſima ſenectus excipiat, ut cum ſenioribus parentibus ſenes liberi patriam hanc illuſtrent, Rempublicam gerant, augeant, Imperiique fines Borbonii ductu, & auſpiciis, trans Gangem uſque proferant: ex una gente ad pacis, atque belli artes enaſcantur. Haec vota per templa ad altaria, ut quiſque optimus eſt, nuncupari juſſit. Haec vos, ut Deus rata faciat, efficite. Nox ipſa, ut ſe ſe repraeſentavit, ita ſe ſe producat, ſomnoque degravet oculos: fas, & jus pudori ſolvat repagula. Firmamentum enim familiae nobiliſſimae, optimae, & florentiſſimae Anna debes; debes ita parentum fidem liberare quotannis, ut prima proles Thomas in tuo ſinu tuae deliciae ſint, laetitia publica, majoriſque gratulationis amplior materies. Dixi.

ALE-

ALEXII XIMMACHI MAZOCHII

In Regia Academia Sacrae Linguae interpretis.

*M*ARCIANTEM *ducente* PETRO: *ſubjecit amanti*
Ecquis utrique faces? dic age. Caſtus Amor.
Conjugii quis deinde auſpex? Themis, arbitra legum.
Pronuba quae? Haud Juno, Pallas at ipſa fuit,
Nil rata Cecropiis rebus mage profore, quam ſe
Conveniant unum in ramus uterque ſatum.
Quis mihi nunc referat, qui de inſitione beata hac
Proficient nati in nomen & omen avûm?
Exoriare aliquis puer ab! MAZACCARA, *avitâ*
Arte decus veniens reſtituiſſe fero.

504

JACOBI MARTORELLII

In Regia Academia Neap. Graecarum Litterarum interpretis.

PArthenope, es quae Sirenum cultiſſima VIRGO,
Felici at vatum cultior hoſpitio,
Olim mellito ludebas grandia verſu,
Olim digna Jovis carmina & auriculis;
Tenuia nunc quovis epigrammata menſe recudis,
Dulciaque ad ravim conjugia uſque crepas,
Uſque novas nuptas, uſque & ſponſalia garris,
Atque tui pretium eſt carminis unus Hymen.
Eſt obliviſcendus Hymen, Virguncula cum ſis,
Atque tui haud temnas nominis auſpicium;
Poſtquam igitur ſola haec laetiſſima foedera panges
Connubii, nexu tam bene ſarta pari,
Optesque, ut Sponſi quaerant ſibi vivere cari,
Luſites ut gnatis Sponſa beata novis.
Carmina tu poſthac ne connubialia condas,
Quo ſis & cum re, & nomine Parthenope.

AU

AUTHORIS ANONYMI.

*R*Upi (*quam vagus hinc , & inde lambit ,*
Sebetuſque levi retundit undâ)
Ut ſucceſſimus , incidere nobis
Et Riſus , Joculique , Gratiaeque ,
Ducentes pede libero choreas :
Diverſaeque novem ſacrum Puellae
Sortitae officium bene , ac beate
Explent . En manibus terunt , fricantque
Flores , blanditias venuſtiores
Veris , delitias levis juventae .
In Thyrſos violas ſuaviores
En legunt , ederaſque , liliumque .
Pars vivax opium , metitque caltham :
Pars (Florae decori) thymo , & chorymbis
Oſcula eripit uſque , & uſque centum .
Has , Narciſſe , tenes ; morantur illas ,
Albâ quae redolent liguſtra fronte .
Dum lectis cito floribus coronam
Nectunt unguiculis , opuſque fervet ;
Deprompſit citharas Thalia doctas ,
Verſuſque addidit elegantiores .
Dicamus bona verba : quid ſiletur ?
O ſignanda novo dies lapillo ,
Et digna hendecaſyllabis trecentis .
PETRUS *floſculus eſt juvenculorum ,*
Horum non modo , ſed quot aut fuerunt ,

Vel ſunt, vel reliquis erunt in annis.
Hic ANNÆ modo nupſit appetenti,
Cui fontes dederam elegantiarum,
Cui de virgineis tuis labellis
Donaſti violas, Venuſque, Amorque:
Ambos (oh pietas!) tenaxque recti
Commendant ratio, bonique mores.
Hinc ſaevas decet uſque, & uſque Parcas,
Vobis praecipites tenere fuſos,
Vobis horridulas colos morari,
Vobis aurea prorogare penſa.
Et mox nupta dabit puellulorum
Florem, delitias ſui parentis,
Quem plus luminibus ſuis amabit:
Et mellitus erit, venuſtiorque,
Et diſertus erit, facetiorque.
Hujus floriferâ comas coronâ
Cingam. Et carmine tunc decentiori
Parentes ſimul, & ſimul Puellum
Ornabo memorans. Meae Sorores
Quid? quid rerum agitur? quid oh ſiletur?
Clamandum eſt iterum altiore voce:
O ſignanda novo dies lapillo,
Et digna hendecaſyllabis trecentis.

AN-

Digitized by Google

ANTONII MORLANDI

ODE.

AT praeſentia nuptiis
  Multa prole torum Numina largiter
Donent poſſe bearier ;
  Quo foecunda viris utraque fortibus
Gens , non ultima publicae
  Spes comperta rei , fota perennius ,
Vivat laeta nepotibus
  Mater uſque ſuis , qui male perdita ;
Belli ſive laboribus ,
  Seu caſu vario tempora recreent ;
Tum communia civibus ,
  Sat concepta pie vota jacentia
Tollant . Quid ſuperos prece
  Stultus ſollicita , ſed nimis urgeo ?
Alto ex aethere praepetes
  En adſtant thalamo ſcilicet auſpices ,
Collataque ſtudent ope
  Pro ſe quiſque ſuos fingere liberos ,
Ut praeclara parentibus
  Fulcimenta domus , certaque ſanguinis

Clari pignora ſuppetant.
Quam tu Parthenope, munere ſcilicet
Tum ditiſſima Numinum,
Tantis praeſidiis laeta ſuperbies?
Cum mirabere ſcilicet
Tot complexa viros, indociles metu
In rebus trepidis quati,
Belli vel capiti damna cubantia,
Praeſentemve necem tuo,
Hinc terras procul avertere in ultimas:
Nec rebus deerunt tuis
Et grandes animae conſilio gravi,
Et Muſis ſacra pectora,
Atque a Palladiis artibus optime
Informata bonum, ac decens.
Tu ſed, ſancta Themis, quicquid ab ubere
Olim connubii ſinu
Exſiſtet melius, ſedula praeleges;
Quo jus nempe Quiritium
Optata niteat jam face praevia;
Quo ſtent judicia integra;
Quo lux atque fori ſplendeat auctior,
Praeſens uſque micans reis.
Hinc laudis ſeges ampliſſima, gloriae
Hinc uberrimus effluet
Fructus, nec cumulo pacis & otii
Tanto deficiet quies.
At tu conjuge, Par nobile, vinculo
Junctum jam ſtabili fide,
Quid non propitios accipis & bonos;

Agno-

Digitized by Google

Agnoſtiſque Deos tuos ?
En caſti thalami ſtrata cubilia ,
Certae nempe ſolum ferax ,
Et pulcrae ſobolis : quae mora longior
Ingrato vetat otio ,
Cum matura Domum germina carpere ;
Tum firmiſſima Patriam
Munimenta ſui , & lumina perfrui ?

JOANNIS MELPHI.

AUrifero intonſos diſcernens pectine crines
Aſtrorum admiſſis huc pater adſit equis,
Solemque adſocient ſignorum flammeus crdo,
Clara ſit iſta ſui pompa ſatellitii.
Lucida Amalthea huc propera, ſed divite cornu,
Cincta caput gemmis huc Ariadna veni.
Urgeat & ſtimulis tardantia plauſtra Bootes,
Igniferoſque ſuo vectet in axe choros.
Tuque Actaea Ceres, ſeu mavis Luna vocari,
Spicifero huc celeri picta decore comas;
Et tecum accenſam quatientes lampada myſtae
Ad feſtum moveant connubiale gradum.
Non tua Plutonis rapitur Proſerpina fraude,
Quae regno, & ſtygia conſociata thoro.
Omine felici PETRO *nunc* ANNA *jugatur,*
Reddidit heroem quem tua norma virum,
A cunis leges, vitae rectam imbuit artem
Et ſacra Theſmophore condita jura Dea;
Hoc fuit incoctum generoſo pectus Honeſto;
Hinc Spicam, hinc Cererem nobile ſtemma notat.
Nunc merito thalami venias tu Pronuba; ducat
Ipſa maritales & tua turba faces,
Ducat turba faces, jugi quae lumine vivant,
Lampas & infuſo plena liquore flagret.

At meliore domum cum prole beaverit ANNA,
Infans labra tuis applicet uberibus,
Jam tum doctrinae, & legum primordia ſugat,
Quae Pater, inſignis quaeque Avus ante bibit.
Inſtar Triptolemi totum dein ſparſit in Orbem,
Gloriae ab aligeris cum veheretur equis,
Thomae virtutum nunc ſemina jacta labore
Exſurgunt, metitur nunc opulenta ſeges.
At tu ſceptra regens, Caeli o Sol induperator,
Munera quae Sponſo, quae parapherna paras.
PETRI ſtemma tuo flammanti ex ore coruſcat,
Hinc putat ipſe tuas poſcere tempus opes:
Tu qui conſtanti moderaris ſecula motu,
Et duce te ſervant tempora fixa fidem,
Per te aeſtate calet, tellus & vere renidet,
Pomifera autumno eſt, brumâ inhonora ſenet;
Per te qua ſocias junxit Concordia mentes,
Firma ſit aeternum non titubante Fide.
Vivat Caſtus amor, longo ſint flore juventae;
Auſaque ſi mortis repere triſtis hyems,
Ver iterum redeat, ſpoliis poſitiſque ſenectae
Antiquum reparet forma novata decus,
Sic ſenior Phoenix radiis conſumitur uſtus
Phoebe tuis, vitam mox redivivus habet.
Sed vos Ætherei o ignes, Lunaeque ſorores
Quid doni a vobis nunc nova nupta feret?
Vos habet inſculptas antiquo in ſtemmate ſtellas,
Vos pariter vultu, vos nitido ore refert.
Quaeque ſuas nunc didat opes, Tu Ariadna coronam
Ordine gemmifero quae bene ſtructa nitet,

Tuque

512

Tuque Jovis nutrix, fulges modo ſidus Olympo
Copiam Amalthaea huc aurea funde tuam;
Arctophylax, Stellae cui tradita cura polaris,
Cui Cynoſura, Helice cui Tegeaea ſubeſt;
Sit tibi Sponſorum pariter cuſtodia ſolers,
Nox aerumnarum ſit tenebroſa procul;
Utque Arctos ſemper ſublimi in vertice ſplendent,
Et nunquam Occiduis præcipitantur aquis,
Sponſorum ſic clara domus nullo excidet aevo,
Perpetuoque novo luceat aucta die.

---

* Adluſio ad Sponſorum ſtemma; PETRI enim MAZACARI ſtemma Sol eſt cum ſceptro, & Spicarum faſciculus, ANNÆ vero MARCHANTIÆ ſtemma Stellarum Circulus.

IO

Digitized by Google

JOSEPHI PASCHALIS CYRILLI

Regii Juris Interpretis.

HUc ades, o mi dulcis Amor: da jungere dextram:
Blandule, da labris jungere labra tuis.
Huc ades. At te jam teneo. Dabis, improbe, poenas.
Artes jam tandem luſimus arte tuas.
Tela, pharetramque infringam, celereſque revellam
Alas, moxque ruent in tua terga manus.
Hanc ſibi vindictam infelix Ariadna repoſcit,
Et Daphne, & Graeca Troja peruſta face:
Poſcit & ipſa ſibi Juno. Haec ego ſaeva minabar;
Dulcia ſed multis ora rigans lacrymis,
Haerentemque ciens imo de pectore vocem,
Da veniam antiqui criminis, inquit Amor:
Priſtina jamque novis meritis male facta rependo.
Deſipui; at vel te judice nunc ſapio.
Et juvenem egregium oſtendit, lectamque puellam,
Quos ſtabili junxit foedere conjugii.
Praeſtantes forma, clari virtutibus ambo.
Nunc illi veniam quis neget? Ecce ſapit.

Digitized by Google

514

CARMINI CATALANI

EPITHALAMIUM.

PRole Thyrſigeri patris,
Matris Uraniae duce,
Filiiſque ſuis Venus
Juncta, Pallada jurgiis
Auſa ſcindere ſaevam.
Numquid arbitra gentium
Pallas, ut jubeas amens
Noſtra temnere ſpicula,
Optimum ſeritur genus
Unde Partenopaeum?
Sola MAZACAROS tenes,
Queis tua aegis, ut ignea
Tela, ſi quibus utimur,
Extudiſſe velint, dedit;
Unde ſed decus illud?
Quis favor, potius furor,
Numiniſque ſuperbia
Munus imminet in meum?
Vitae ego excito ſemina;
Tu quoque haeccine curas?

Nam

Digitized by Google

Nam quid in tacito ferat
Corde Juno Saturnia,
Juppiterque, ſat eſt notum.
Quinque fratribus eligit
Hic PETRUM. PETRUS *eſto.*
Unus eſt mihi plurimus,
Tu ſinas modo flectere
Me caput. Caput illico
Aetna fiet, & irruam
Tota Cypria in unum.
Hic, ut igne bitumina
Atra, torreat, ac flagret,
Arcta copula copulet,
Cura ſit mihi te procul,
Trina ſaecula vivax.
Cum novena recurreris,
Phoebe, ſigna, puerpera,
Siqua nupſerit, illa erit;
Tango regna Saturniae,
Sed virum illa jugaret.
Illa nam thalami torum
Saepe praecelerans, Venus,
Inquit, incute vim, excita
Flammea juvenem face,
Et Cupidinis arcum.
Nec movetur, ut ardua
Saxa fluctibus obvia.
I, ſcoplum impete ſpiculis,
Fracta diſſilient mari.
Riſit innuba Pallas:

 Fata

Digitized by Google

Fata quam dederint bono
Conjugem juveni parem ,
Luſtra ſub tria nubilem ,
Qua venuſtior haud Venus ,
Igne ſollicitabis .
Hanc , Jocus quid , Hymen , Amor ,
Inſciam , indocilis viri
Ne ſit , edoceas , Venus ,
Eſt origine nobilis
Gallica , unde vir , orta .
Docta , dis , pia , daedala ,
Sana , pulcra , puellula ,
Quae viro ſapiente ſit
Digna , fertilis , innocens ,
Nomen ANNA vocatur .
Clauſtra quam Senonenſia
Muniunt Sacra , pupulas
Ut repellere putidas
Sit potis jaculantibus
Tuta Amoribus ignes .
Perfluentis Etruriam
Fulget , inter ut omnia
Una ſidera Delia ,
Inter haec nitidiſſima
Una Najadas Arni ;
Hinc pedem referat domum ,
Ceſſit unde puſillula ,
Hoc opus , labor hic meus :
Ducat aura Neapolim
Ut ſecunda favonj ,

Prorſus

Digitized by Google

Prorſus Euboico ſinu
Fata Numina Nerei
Nuptialia concinent ,
Et canent Acheloides
Ore carmina laeto .
Dixit , & rapuit ſimul
Caſta lumina flammulis . .
Hinc Hymen , Venus , atque Amor
Prima praelia concient ,
Ut PETRUM *ardeat* ANNA :
Sicut arſerit arduum
Virgo Theſea Gnoſſia ,
Fortis Icaris Ithacum ,
Rara Sponſa Capaneum ;
PETRUS *ardeat* ANNAM ,
Aeſon Antigonen novus ,
Vel Bias ſimilis Pero
Alter Euridicam Orpheus ,
Aut gemellus uterlibet
Phoeben , aut Thelairam .
Arte Palladis *ut Parens*
Filiam evocat , Attica
Brenne , jam tua moenia
Ore floridulo nitens
Cum bona alite linquit .
Ex eo addita tempore
Sunt ei bona Numina ,
Mille nam repulit procos
Pertinax , fugiat ſinus
Donec Herculis *altos .*

Illa

Digitized by Google

518

Illa ſic vehitur mari,
Qualis orta mari mare
Dans ſibi genialius
Venit ad Phrygium Idalia
Judicem aequore concha.
Alta cum tenuit ratis
Per vias ſalis Auſonj,
Doris, & vagulae maris
Ore fatidico Deae
Concinunt Hymenaea.
Veſtra quum, Theti, Climene,
Spio, Cymodoce, Doto,
Alba Leucothoe, Thoe,
Auga, Leuconoe, mele
De ſpecu aſſonat Echo.
Dixerant: ades, ANNA, ades,
ANNA: vir vocat, & vocat
Mox reſultat ad Aethera,
Nomen & reſonabile
Huc reportat, & illuc:
Nomen & memorabile
Saxa concava perſonant,
ANNA, PETRE, tuum, tuum
Numen, & venerabile,
O Hymen Hymenaee.
Digna, nubere quam deo,
Digne, ducere quem deam
Jus ſit, edite Coelitum
Prole multiplici decus,
Quorum eſt aemula virtus.

Dona

Digitized by Google

Dona fer pelagi rubri,
Si comis hyacynthina
Digna munera ſunt tuis,
Auribus, digitis lapis,
Ponti quo nitet unda.
Cinge tempora jaſpide,
Sitque bacca muricis,
Unioque monilia,
Candeas magis, & minus
Fulgentes amethyſti.
Utque fulgor Ibericus
Hocce pectore ſit minor,
Pectus haud ſine munere
Ad virum decet afferas:
Noſtros ecce pyropos.
Utque praeradies ſua
Sole purpura corpori,
Sitque candidior nive,
Quae ſuper jacet Alpibus,
Quam natura pararit;
Palla madida murice
Sit duplex, Tyrio, Africo,
Cujus aurea, gemmea
Fila non ſterilis manus
Torſit pollice Coa.
Sume byſſina, carbaſa,
Cum faces praeeant tibi,
Pura nunc opus eſt toga,
Nupta qua nova ducitur.
Jo Hymen Hymenaee.

Has

Digitized by Google

5120

Hac virum aurea mollia
Fulcra ſternere purpura
Vrgeas, ubi luderis
Inter, Hercule, *Theſtias*:
Jo Hymen Hymenaee.
Ceu Arionia Lyra,
Et modis fluitantia
Tinnulis vitreo freto
Muta ludere viderit
Squammea agmina Proteus:
Sic ſtetit populo Deûm,
Et vago pecore undique
Concito mare, pinnulis
Ludibundaque piſcium
Turba verberat undas,
Fata cum caneret Senex
Ipſe Proteus *aureas*
Inter Oceanitidas,
Blandulaſque Acheloidas,
Proſperoſque Hymenaeos:
O ter omine dextero
Vincienda viro novo
Hac beatior omnibus
Caja foedere matribus,
Macta mater Hymenaeis.
Juno pignora, bellulae
Quae tibi dedit indolem,
Et fidem, faciem ut Venus,
Pallas ut ſapientiam,
Pulcriora ſpopondit.

Nam

Digitized by Google

Nam tuum hoc genus aſpera
Manſueſcere ſaecula
Juſſerit meliuſculum:
Macte jo Hymenaee Hymen ,
Jo Hymen Hymenaee .
Grande pectus avi feret
Prima nomine cum pari ,
Quod ſupra nihil eminet ,
Quo ſuperbiet Itala
Gens , clariſſima proles ,
Tam tuâ , Themi , Mercuri .
Pallas , ut fuit aureus
Arte , qui tenuit forum ,
Regiam & tenuit vicem
Rege Caeſare Thomas .
Ante quam properet toga ,
Fronde tempora laurea
Cinctus , eloquii potens
Stans avo ſimilis nepos
Ut ſubſellia franget !
Fatus haec caput intimo
Cum deis aliis ſalo
Subdit undiſono ; procul
Urbe cum ratis adnatat .
Unde litora fervent .
Geſtiens , nec enim diu
Ferre Parthenope moras
Tot poteſt , ſecat aequora
Obviam : volitant ſimul
Et Sebethides omnes ,

Digitized by Google

O bone, ingeminant, Hymen,
Noſtra litora reſpicis:
Huc Hymen age, huc Venus,
Huc Amor venias libens,
Jo Hymen Hymenaee.
Jamque de ſpecula PETRUS
Se cito rapuit pede:
Inde fluctuat aeſtibus.
Duriuſcula, quod modo,
Nonne tum potuiſſes?
Nunc quia ureris, annuis,
Flammeoque rubor lates
Oris. Eſt bene Nireo
Pulcrior; tamen anxium
Flamma pronuba torret.
Quid moraris? Eas domum
Caja, quae tibi jam patet:
Tollite, o pueri, faces,
Ite, concinite in modum:
Jo Hymen Hymenaee.
Cum diis praeeuntibus
Ite, concinite in modum:
Jo Hymen Hymenaee *jo,*
Jo Hymen Hymenaee.

Limen aureleo pede
Tranſili, thalamum petas,
Quo cadat tibi zonula,
Quo viro, tibi pignora
Juno dulcia reddat.

Clami-

Digitized by Google

Clamitate Thalaſſio,
Uxor in thalamo viro
Vernet os roſeum diu,
Liberumque ferax torus,
Floreatque maritus.

Digitized by Google

524

JOHANNIS ANTONII SERGII
J. C.

VEr nitet en blandum: poſito ſqualore ſenectae,
Purpureas rutilans induit annus opes.
Irriguis micat hortus aquis, zephyrique ſuſurrant:
Flore novo pingit Cloris odora comas.
En fugit, & fugiens ſaxis immurmurat unda;
Totaque feſtivis vocibus arva ſonant.
Prata, nemus, colles volucrum jam voce reſultant:
Leni quaeque ſuo pectora ab igne calent.
Omnis amore viget tellus: nunc turtur ab ulmo
Ingemit, atque faces explicat ipſe ſuas:
Explicat ipſa ſuas nemorum philomela ſub umbra,
Dulcia cui praebet carmina mollis Amor.
Oſcula candidulae commiſcent blanda columbae:
Ipſa amat undoſis ſquamea turba vadis.
Implicitaeque manu per florea culta puellae
Inſtituunt cantus, inſtituuntque choros.
Ergo, & amare licet, teneros dum ſuſcitat ignes
Arbitrio Titan qui regit omne ſuo.
Hinc bene mox veſtrae firmantur foedera taedae,
Heröes SPONSI, *primaque flamma viget.*
Caſtalii hinc ſacro veniens de vertice collis
Adſtat Hymen; fauſtas ventilat aura faces:
Vivite concordes genialis tempora vitae;
Mutuaque alterius pectora amore flagrent.

Inci-

Digitized by Google

Incipiant vobis niveae procedere luces;
Et nuſquam lacrimis imbuat ora dolor.
Dî facite, ut puero ſolari Sponſa Maritum
Poſſit, qui magni nomina reddat Avi.
Munera at interea nos nullâ mittimus arte;
Parva, ſed ex ipſa ſimplicitate decus.
Lilia pura, roſae, atque immortales amaranthi
Sint dona: his ornet Nuptaque, Virque ſinum.
Dumque halant flores, nomenque decuſque Puellae
Pingat puniceis littera ducta roſis.
Laetaque jam facimus concepto carmine vota,
Ut bona fortunent Numina conjugium.
Hinc procul ab rixae; procul hinc furialis Erinnys,
Quae trahit infauſtos moeſta timore dies.
Vos circum volitent placidis bona gaudia pennis:
Vos circum volitent blanditiae, atque joci:
Et ſtabiles animos conjungant fortia vincla;
Vincula funereo vix ſoluënda rogo.
Evenient: laevum intonuit namque omine caelum:
Felicem curſum candida ſignat avis.

LEO-

Digitized by Google

LEONARDI DE TURRIS

O D E.

HEm ! ſaepe vanum poſcis Apollinem,
Fictamque Vates Terpſichoren vocas;
Adire & incaſſum laboras
Aoniis juga grata Nymphis.
Quis me refellit, promptus & integrat
Has deinde voces ? Deſine inanium
Jam ſomniorum, neve miſce
Quisquiliis ſacra fabuloſis :
Nil cum profanis : Res bona nuptiae,
Et ſancta prorſus, plenaque gratii·,
Ac nulla vis humana ſolvit
Quos animos Deus ipſe jungit.
Sic eſt. Recedant tela Cupidinis,
Arcuſque, & ignes. Hinc abeant procul,
Utcumque refragante vulgo,
Et Venus, & Charites, Hymenque,
Quin ipſa Juno pronuba, Jupiter,
Et grex Deorum. Ludicra rudera
Haec Ethnicorum; ſordidoſque
Inde ſatis liquet ire verſus.

Numen

Digitized by Google

Numen, quod unum eſt, cuncta ſimul videns,
Ut cuncta fecit; ſemper agens prius,
Semperque felix, & perenni
Luce ſua ſine fine clarum;

Ubique praeſens, ardua montium,
Pontique tractus, & vaga flumina,
Valleſque, diffuſoſque campos,
Et liquidam moderatur aethram.

Nos illud implet ſenſibus, & ſui
Lux alma vultus nos ſuper enitet;
Haec aptat ad verſus, facitque
Ingenio, eloquioque vates.

Nil forte nobis obvenit, ut nihil
Fortuna ludit. Scis melius, PETRE,
Ut cuncta promanent ab illo
Sive domi bona, ſive ruris,

Morumque candor, fervida Charitas,
Veraxque ſermo, vitaque plus ſatis
Extenta, praeclarumque nomen,
Et melior ſoboles parente.

Nunc ominari ſi liceat tibi
Tot fauſta Sponſo, PETRE decus meum,
Servare non ſane decebit,
Dextra an avis volet, an ſiniſtra?

Nec qua coruſcet parte tonans polus.
Fas Orthodoxis a Patre luminum
Quodcumque felix adprecari
Voce humili, tenuique plectro:

Ex arce Olympi, lumen ubi ſuum
Pandit Beatis, largus opum dator,
Aeternus, immenſeque regnans
Ille opifex, dominuſque rerum,

Digitized by Google

528

Te, PETRE, *Sponſum, nubila quo fugat,*
Fluctuſque vultu comprimit aequoris,
ANNAMQUE Sponſam ter, quaterque
Reſpiciens, cor utrumque nectat.
Mox conjugali dulcia vinculo
Addat, venuſta, & proſpera millies;
Illudque firmet, ſanciatque
Eſſe tenax, renuenſque ſolvi.
Nec deinde ceſſet mittere caelitus
Septena Divi munera ſpiritus:
Hic vos ſecundet, repleatque
Laetitiae, incolumeſque ſervet:
Foecundet hic vos, totus amor, quies;
Ut ſit propago ſtipite dignior,
Illuſtri & utriuſque proles
Adjiciat domui nitorem.

I03

Digitized by Google

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO,

Regalis Camerae Sanctae Clarae
a Secretis.

Hinc Venus, hinc Pallas: hinc Fax, hinc Laurea juris.
Forte rogas, quidnam diſſita ſigna notent?
In promtu cauſſa eſt. Unitur Sponſa Marito,
Qui par in Studiis, par in Amore nitet.

Digitized by Google

530

ILlud inprimis Lectorem monitum de communi hac collectione volumus, ne quid praeter Catholicae Fidei fines dictum intelligatur, ubi in fabuloſa nomina incurrerit: deinde, ſi quid Typographi oculos effugerit, id temporis brevitati potius, quam negligentiae tribuat: de ordine vero ſic putet, quo quiſque ſuam tempore compoſitionem contulerit, eodem impreſſam. Vale.

A1 45028

Digitized by Google

Indice

1. Oratio habita in templo s. clare, a canonico Bernardo Cangiano in funere clem. 12. P. O. M. ——— fol. 1.
2. Descrizione nobile di cento quadri de più famosi Pittori che sono nella Galleria Farnesiana ——— fol. 31.
3. Oratio habita a Domino Pascali Salerno, in consecratione ecclesie cathedralis squillacij ——— fol. 91.
4. Componimenti sagri in lode di s. Giouanni della croce di Gioan Giuseppe Girondа ——— fol. 99.
5. Panegirico In Lode di s. Vitaliano Vescouo di Capoa, del P. F. Felice da Piacenza cappuccino ——— fol. 283.
6. Componimenti Poetici del P. Gherardo de Angelis, per la morte di Angiola Cimmina ——— fol. 351.
7. Oratio habita a Richardo de Falco, In Laudem Principis Jovelle defuncto ——— fol. 435.
8. In Nuptijs D. Petri Mazacari et D. Anne marchantie Luciani Philiberti, additis epithalamijs ——— fol. 459.

Fine dell' Indice

Digitized by Google

5120

Hac virum aurea mollia
Fulcra ſternere purpura
Urgeas, ubi luderis
Inter, Hercule, *Theſtias*:
Jo Hymen Hymenaee.
Ceu Arionia Lyra,
Et modis fluitantia
Tinnulis vitreo freto
Muta ludere viderit
Squammea agmina Proteus;
Sic ſtetis populo Deûm,
Et vago pecore undique
Concito mare, pinnulis
Ludibundaque piſcium
Turba verberas undas,
Fata cum caneret Senex
Ipſe Proteus *aureas*
Inter Oceanitidas,
Blandulaſque Acheloidas,
Proſperoſque Hymenaeos:
O ter omine dextero
Vincienda viro novo
Hoc beatior omnibus
Caja foedere matribus,
Macta mater Hymenaeis.
Juno pignora, bellulae
Quae tibi dedit indolem,
Et fidem, faciem ut Venus,
Pallas ut ſapientiam,
Pulcriora ſpopondit.

Nam

Digitized by Google

Nam tuum hoc genus aſpera
Manſueſcere ſaecula
Juſſerit meliuſculum :
Macte jo Hymenaee *Hymen ,*
Jo Hymen Hymenaee .
Grande pectus avi feret
Prima nomine cum pari ,
Quod ſupra nihil eminet ,
Quo ſuperbiet Itala
Gens , clariſſima proles ,
Tam tuo , Themi , Mercuri .
Pallas , ut fuit aureus
Arte , qui tenuit forum ,
Regiam & tenuit vicem
Rege Caeſare Thomas .
Ante quam properet toga ,
Fronde tempora laurea
Cinctus , eloquii potens
Stans avo ſimilis nepos
Ut ſubſellia franget !
Fatus haec caput intimo
Cum deis aliis ſalo
Subdit undiſono ; procul
Urbe cum ratis adnatat ,
Unde litora fervent .
Geſtiens , nec enim diu
Ferre Parthenope moras
Tot poteſt , ſecat aequora
Obviam : volitant ſimul
Et Sebethides omnes ,

H O

O bone, ingeminant, Hymen,
Noſtra litora reſpicis:
Huc Hymen age, huc Venus,
Huc Amor venias libens,
Jo Hymen Hymenaee.
Jamque de ſpecula PETRUS
Se cito rapuit pede:
Inde fluctuat aeſtibus.
Duriuſcula, quod modo,
Nonne tum potuiſſes?
Nunc quia ureris, annuis,
Flammeoque rubor latet
Oris. Eſt bene Nireo
Pulcrior; tamen anxium
Flamma pronuba torret.
Quid moraris? Eas domum
Caja, quae tibi jam patet:
Tollite, o pueri, faces,
Ite, concinite in modum:
Jo Hymen Hymenaee.
Cum diis praeeuntibus
Ite, concinite in modum:
Jo Hymen Hymenaee *jo,*
Jo Hymen Hymenaee.

Limen aureleo pede
Tranſili, thalamum petas,
Quo cadat tibi zonula,
Quo viro, tibi pignora
Juno dulcia reddat.

Clami-

Digitized by Google

Clamitate Thalaſſio,
Uxor in thalamo viro
Vernet os roſeum diu,
Liberumque ferax torus,
Floreatque maritus.

Digitized by Google

524

JOHANNIS ANTONII SERGII
J. C.

VEr nitet en blandum : poſito ſqualore ſenectae ,
Purpureas rutilans induit annus opes .
Irriguis micat hortus aquis , zephyrique ſuſurrant :
Flore novo pingit Cloris odora comas .
En fugit , & fugiens ſaxis immurmurat unda ;
Totaque feſtivis vocibus arva ſonant .
Prata , nemus , colles volucrum jam voce reſultant :
Leni quaeque ſuo pectora ab igne calent .
Omnis amore viget tellus : nunc turtur ab ulmo
Ingemit , atque faces explicat ipſe ſuas :
Explicat ipſa ſuas nemorum philomela ſub umbra ,
Dulcia cui praebet carmina mollis Amor .
Oſcula candidulae commiſcent blanda columbae :
Ipſa amat undoſis ſquamea turba vadis .
Implicitaeque manu per florea culta puellae
Inſtituunt cantus , inſtituuntque choros .
Ergo , & amare licet , teneros dum ſuſcitat ignes
Arbitrio Titan qui regit omne ſuo .
Hinc bene mox veſtrae firmantur foedera taedae ,
Heröes SPONSI , *primaque flamma viget .*
Caſtalii hinc ſacro veniens de vertice collis
Ad ſtat Hymen ; fauſtas ventilat aura faces :
Vivite concordes genialis tempora vitae ;
Mutuaque alterius pectora amore flagrent .

Inci-

Digitized by Google

52

Incipiant vobis niveae procedere luces;
Et nuſquam lacrimis imbuat ora dolor.
Dî facite, ut puero ſolari Sponſa Maritum
Poſſit, qui magni nomina reddat Avi.
Munera at interea nos nullâ mittimus arte;
Parva, ſed ex ipſa ſimplicitate decus.
Lilia pura, roſae, atque immortales amaranthi
Sint dona: his ornet Nuptaque, Virque ſinum.
Dumque halant flores, nomenque decuſque Puellae
Pingat puniceis littera ducta roſis.
Laetaque jam facimus concepto carmine vota,
Ut bona fortunent Numina conjugium.
Hinc procul ah rixae; procul hinc furialis Erinnys,
Quae trahit infauſtos moeſta timore dies.
Vos circum volitent placidis bona gaudia pennis:
Vos circum volitent blanditiae, atque joci:
Et ſtabiles animos conjungant fortia vincla;
Vincula funereo vix ſoluënda rogo.
Evenient: laevum intonuit namque omine caelum:
Felicem curſum candida ſignat avis.

Digitized by Google

LEONARDI DE TURRIS

O D E.

HEm ! ſaepe vanum poſcis Apollinem,
Fictamque Vates Terpſichoren vocas;
Adire & incaſſum laboras
Aoniis juga grata Nymphis.
Quis me refellit, promptus & integras
Has deinde voces? Deſine inanium
Jam ſomniorum, neve miſce
Quisquiliis ſacra fabuloſis:
Nil cum profanis: Res bona nuptiae,
Et ſancta prorſus, plenaque gratiis,
Ac nulla vis humana ſolvit
Quos animos Deus ipſe jungit.
Sic eſt. Recedant tela Cupidinis,
Arcuſque, & ignes. Hinc abeant procul,
Utcumque refragante vulgo,
Et Venus, & Charites, Hymenque,
Quin ipſa Juno pronuba, Jupiter,
Et grex Deorum. Ludicra rudera
Haec Ethnicorum; ſordidoſque
Inde ſatis liquet ire verſus.

Numen

Digitized by Google

Numen, quòd unum eſt, cuncta ſimul videns,
Ut cuncta fecit; ſemper agens prius,
Semperque felix, & perenni
Luce ſua ſine fine clarum;
Ubique praeſens, ardua montium,
Pontique tractus, & vaga flumina,
Valleſque, diffuſoſque campos,
Et liquidam moderatur aethram.
Nos illud implet ſenſibus, & ſui
Lux alma vultus nos ſuper enitet;
Haec aptat ad verſus, facitque
Ingenio, eloquioque vates.
Nil forte nobis obvenit, ut nihil
Fortuna ludit. Scis melius, PETRE,
Ut cuncta promanent ab illo
Sive domi bona, ſive ruris,
Morumque candor, fervida Charitas,
Veraxque ſermo, vitaque plus ſatis
Extenta, praeclarumque nomen,
Et melior ſoboles parente.
Nunc ominari ſi liceat tibi
Tot fauſta Sponſo, PETRE *decus meum,*
Servare non ſane decebit,
Dextra an avis volet, an ſiniſtra?
Nec qua coruſcet parte tonans polus.
Fas Orthodoxis a Patre luminum
Quodcumque felix adprecari
Voce humili, tenuique plectro:
Ex arce Olympi, lumen ubi ſuum
Pandit Beatis, largus opum dator,
Aeternus, immenſeque regnans
Ille opifex, dominuſque rerum,

Digitized by Google

528

Te, PETRE, *Sponſum, nubila quo fugat;*
Fluctuſque vultu comprimit aequoris,
ANNAMQUE Sponſam ter, quaterque
Reſpiciens, cor utrumque nectat.
Mox conjugali dulcia vinculo
Addat, venuſta, & proſpera millies;
Illudque firmet, ſanciatque
Eſſe tenax, renuenſque ſolvi.
Nec deinde ceſſet mittere caelitus
Septena Divi munera ſpiritus:
Hic vos ſecundet, repleatque
Laetitiae, incolumeſque ſervet:
Foecundet hic vos, totus amor, quies;
Ut ſit propago ſtipite dignior,
Illuſtri & utriuſque proles
Adjiciat domui nitorem.

IO

Digitized by Google

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO,

Regalis Camerae Sanctae Clarae a Secretis.

Hinc Venus, hinc Pallas: hinc Fax, hinc Laurea juris.
Forte rogas, quidnam diſſita ſigna notent?
In promtu cauſſa eſt. Unitur Sponſa Marito,
Qui par in Studiis, par in Amore nitet.

Digitized by Google

530

ILlud inprimis Lectorem monitum de communi hac collectione volumus, ne quid praeter Catholicae Fidei fines dictum intelligatur, ubi in fabuloſa nomina incurrerit: deinde, ſi quid Typographi oculos effugerit, id temporis brevitati potius, quam negligentiae tribuat: de ordine vero ſic putet, quo quiſque ſuam tempore compoſitionem contulerit, eodem impreſſam. Vale.

VA1
1545028

Digitized by Google